



Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Hæc, qvæ jam seqvuntur, pertinent adhuc ad literam A. qvam suo loco.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

Hæc, quæ jam sequuntur, pertinent adhuc
ad literam A. quam supra suo loco
invenies.

CAP. I. De Absentia.

Axioma I.

Nemo potest ab officio publico abesse nec illud deserre, nec à legatione redire absque veniâ Principis, prout nec ad urbem Ecclesiastici negotii causâ proficisci *cap. 4. 10. X. de Cler. non resid.* nec consiliarii Principis abesse sine venia possunt. Et hoc quidem nec specie religionis, e. g. Monachorum solitudines sectando, nec obtentu Philosophiæ. *Perez. C. de decur. num. 43. seqq. C. si curial. relict. civit. num. 1. seqq.* Ita Clericus non Residens privatur beneficio. *Brunnem. ad l. un. C. eod. rit.* Rector provinciæ & iudices non possunt provinciâ excedere, nisi voti solvendi causâ *l. 15. de offic. presid.*

Limita (1.) nisi cum comiteatu seu licentia Principis absint, e. g. adjuutores quæstoris, tunc enim omnes fructus officii percipiunt *l. pen. §. 2. C. de proxim. sacr. scrip.* (2.) Si iustam absentia causam habeant, e. g. studiorum, disciplinæ, si in obsequio Pontificis sint aut Episcopi, &c. quò casu omnes fructus percipiunt, non autem quotidianas distributiones, nisi in his omnes fructus consistant. *Perez. C. de proxim. sacrar. scrip. num. 14. seq.*

II.

Absentia affectata etiam reipubl. causâ non prodest. e. g. si quis evitanda accusationis causâ agat ut Reipubl. causâ absit. *l. 15. §. 2. de adulter. Brunnem. C. qui militat. poss. col. 1.*

III.

Animus revertendi facit, ut quis semper in loco mansisse videatur *Brunnem. ad l. 2. C. de incol. in fin.* Hinc per absentiam ab academiis Studiosi non statim amittunt privilegia academica. *Perez. C. qui ætate. num. 9.*

IV.

Absens reipubl. causâ quamdiu absit, à muneribus civilibus immunis est. *Brunnem. ad l. 1. C. de Professor.*

V.

Absens nemo condemnari potest, nisi (1.) in officio deliquerit & aufugerit, (2.) nisi contumaciter absit. vid. *Rubr. condemnatio. axiom. 1.* modò poena sit infra relegationem. *Marcus Antonius Blancus pract. crim. fol. 7. & statutum*, quòd contra absentem feratur capitalis sententia, non valet. *Felin. in cap. qualiter. §. ad corrigendos num. 28. in fin. de accus.* Sed hodiè de consuetudine aliud observatur, & passim videmus iudices potius in condemnando quàm in absolvendo esse intentos, quia per absentiam contumax & in facto convictus judicatur in criminalibus. *Jul. Clar. in §. fin. pract. crim. q. 44.* In dubio autem condemnatus potius præsumitur

propter absentiam, quàm quòd malam foveat causam. *Philipp. Port. lib. 1. com. concl. numer. 6. fol. 24. l. si idco contra emptorem. ff. de evict.* nisi ex actis clarum esset, eum malam fovere causam. *gl. in l. 2. C. de contrab. judic. tutel.*

VI.

Absens nequaquam dicitur cum vox audiri potest *l. 1. §. 27. ff. de Senatusconsulto Siliano. Cass. in consil. Burgund. vers. en est absens. Rubr. 3. §. 1. fol. 101. col. 3.*

CAP. II.

Absolutio, Absolvere.

Axioma I.

Quoties quis absolvitur ab instantia, toties semper repertis novis probationibus iterum conveniri potest, quia sic propterea saltem fuit absolutus, quòd actor sufficientibus probationibus non fuerit instructus. Ita qui ob actoris contumaciam ab instantia fuit absolutus, de novo rursus conveniri potest *l. 13. §. 2. C. de judic.* Idem est, si quis ob incompetenciam iudicis vel ineptitudinem libelli absolvatur. *Carpz. p. 1. const. 3. def. 16. numer. 4.*

Limita, modò actor priores expensas restitu-
erit. *d. l. 13. C.*

II.

Quoties quis simpliciter absolvitur sive ab actione liberatur, toties rursus agenti obstat exceptio rei iudicatæ. Quia res semel apud iudicem acta non iterum agenda est & retractanda, cum alioquin nullus foret litium finis. Si ergo reus opposita exceptione compensationis, iurisjurandi &c. absolvatur, denuò conveniri non potest.

Limita, modò post sententiam decennium fuerit elapsum; ab eo enim tempore sententia vim rei iudicatæ habet.

III.

Absolutio juramenti ad effectum agendi requirit partis adverſe citationem & causæ cognitionem *Gail. lib. 1. obs. 22.* Processus tamen legitimus in ea non requiritur, ne ex causa summaria fiat ordinaria. *Gail. d. l. 1. obs. 23.*

IV.

Absolutione opus non habet iuramentum præstans super facto ipso jure illicito. *cap. quantum 18. X. de iurejur. cap. inter cetera 22. caus. 22. q. 4. Gail. lib. 2. obs. 42.*

V.

Absolutus in foro poenitentiali non est absolutus in contentioso, quoad poenam temporalem. *Gloss. in cap. admonere. 8. caus. 23. q. 2.*

CAP. III.

Abusus.

Axioma I.

Ob abusum sæpe tollitur usus & quis re suâ privatur. Hinc qui prostituit suam ancillam, dominio; qui filiam, patriâ potestate privatur.
(N n) *l. 6.*

l. 6. C. de spectat. & scen. n. 14. Venditor ancilla consentiens prostitutione ei jus perditus injectionis manus *l. 1. C. si mancipium ita venerit. Brunnem. ad l. 6. C. de spectat.* Creditor pignoratam ancillam prostituens pignus perdit. *l. 24. §. fin. de pign. att.* & qui eam, quam ab hostibus redemit, prostituit, amittit pretium, *l. 7. C. de postlim. revers.* & tali modo liberata nec ob ingratitudinem in potestatem revertitur. *Brunnem. d. l.* Sic qui ex publicis aqueductibus aquam in aedes suas deduxerit, vel arbores plantaverit, iis privatur *l. 2. 10. C. de aqueduct.* Perez. *C. cod. n. 4. §.* qui jus aquae ducendae impetravit, non autem ex castello secundum consuetam formam, sed ex fistulis matricibus duxit, eo jure privatur. *l. 3. C. eod.* Qui aqueductus fundum suum transeuntes non purgat, fundo privatur. *l. 1. C. eod.* ob abusum singularem omnis emphyteuta fundo, ob servitiam vassallus fundo privatur. *Brunnem. ad l. 3. C. de mancip. & colon.*

CAP. IV.

Acceptatio.

Axioma I.

Cuicunque duplex offertur lucrum, ille repudiato uno potest acceptare alterum, quia cuilibet liberum est lucrum, quod ex diversa causa offertur, separare, & ita unum tantum acceptare. Ita praelegatum acceptari, hereditas verò repudiari potest. *l. 12. C. de leg.*

Limita: nisi de alia mente illius, qui lucrum offert, constet, v.g. si testator noluerit heredem habere legatum nisi hereditatem retinuerit. *l. 88. de leg. 1. Joan. à Sande lib. 4. tit. 4. def. 7.*

II.

Toties ex acceptance literarum aliquis obligatur, quoties facultatem contradicendi habuit & non contradixit. arg. *l. 16. ad SCrum Macedonianum.* Quia sic ex taciturnitate & receptione literarum praesumitur consensus & approbatio illorum quae in literis continentur. Conf. *l. qui patitur. 18. ff. Mand. Gail. lib. 1. obs. 21. numer. 9.* Ita ergo campfor, qui literas cambii acceptat, ad solutionem est obstrictus. *Marguard. de jure mercat. l. 3. cap. 9. num. 58.* Principalis qui cessionem à procuratore factam accepit, illam videtur ratihabuisse. *Mev. P. 2. dec. 140.*

III.

Oblationem adversarii non acceptans ex ea se non potest juvare. *Myns. dec. 1. resp. 1. num. 40.*

CAP. V.

Accessio, Accessorium.

Axioma I.

Sublata accessione tollitur jus ex accessione quassitum. Quia sublata causa domini subla-

tum censetur ipsum dominium. Ita diruto edificio, quod in alieno solo extructum, erat, materia ad pristinam causam refertur & potest à domino vindicari, vel ab eo ad exhibendum agi. Idem est si quis ex materia aliena in fundo proprio aedificaverit. *l. 23. §. fin. l. 59. de R. V. §. 30. Inst. de R. D. junct. l. 2. C. de R. V.*

Limita: ut procedat quoad bona fide aedificantem; in eo enim non potest dici assuisse animus donandi. Non ergo idem erit in eo qui mala fide aedificavit.

II.

Quoties accessorium speciali lege fulcitur, toties etiam subsistit sublato principali. Ratio consistit in auctoritate legis, quae facit ut accessorium per se valeat tanquam principale. Ita legata per se subsistunt sublato principali scilicet testamento, juxta *Nov. 115. cap. 3. in fin.*

Limita, modò accessorium tale sit, quod sui natura & per se subsistere possit. vid. *supr. l. 1. cap. 8. axiom. 5. in fin.*

III.

Quicumque dominus est rei principalis, ille etiam sit dominus illius, quod rei principali accedit, quia accessorium sequitur suum principale. *cap. 47. de R. J. in 6to. Exempla vid. in §. 19. seqq. Inst. de R. D.*

Limita: (1.) nisi res principalis longè vilior sit accessorio. *Zoëf. ad ff. de acquir. rer. dom. §. 33.* (2.) modò id, quod accedit, bona fide accedat.

IV.

Accessorium sine principali alienari non potest, e.g. servitus praedialis sine praedio, adscriptitius sine fundo suo. *Brunnem. ad l. 7. C. de agricol. & censu. num. 2.*

CAP. VI.

De Accusatione.

Axioma I.

Accusatus super crimine pristinis honores retinet, novos autem petere nequit. *l. 17. §. 12. ad municipal.*

Limita (1.) si causa criminalis intra annum contra eum non finiatur, nec per eum steterit. *l. 7. de muner.* tunc enim novos petere potest. (2.) pristinam dignitatem amittit, si vel per sententiam ab officio suspensus sit, vel de mala administratione ipsius officii accusetur. *Perez. C. de reis postulat. num. 2. seqq.*

II.

Accusare prohibitus potest tamen suam injuriam vindicare, e.g. colonus qui dominum judicio pulsare non potest, potest tamen

men ob superexactionem vel aliam injuriam illatam. l. 2. C. in quib. caus. colon. Perez. C. eod. num. 4. Quando Clericus vel Monachus suam vel suorum vel Ecclesie injuriam persequi possit, vid. Farinac. lib. 1. tit. 2. de accusatione q. 12. & 13.

ab acta manca tenetur ad interesse. Myns. Cent. 1. observ. ii.

III.

Fiscus de crimine absolutum denud accusare potest. Perez. C. de sentent. advers. fscum. n. 8.

CAP. VII.

Acquisita, Acqvæstus.

Axioma I.

Acquisita constante matrimonio mariti industria qvasita præsumuntur. l. 51. ff. de don. int. vir. & ux. Myns. cent. 2. obs. 92. Valet tamen statutum vel consuetudo, ut bona constante matrimonio qvasita sint inter conjuges communia. ap. 2. X. eod. Gail. l. 2. obs. 78. num. 10.

II.

Ad acqvæstus conjugales, Ervingenschafft/ pertinent, quæ industria alterius conjugum constante matrimonio sunt acquisita, non verò donationes, legata, hereditates. Christin. 1. decis. 206. Befold. thes. pract. verb. rungen und gewonnen.

CAP. VIII.

De Actis.

Axioma I.

Turpe videtur, si iudex acta, quæ Notariis Actuariisve curiæ incumbunt, ipse conficiat. Limita: in actis jurisdictionis voluntariæ. Perez. C. de numerar. num. 10.

II.

Acta faciunt rem notoriam. vid. supr. lib. 1. cap. 15. axiom. 6. ubi quatuor adduntur limitationes:

Limita (5.) omnia communitoria, præcepta & instrumenta publica nullam vim habent, nisi in mundum sint redacta, perfecte extensa & subscripta manu actuarii & testium, sine subscriptionis verò testimonio non carent suspicionem falsi. l. 10. §. 1. 2. C. de numerar. Perez. ibid. num. 11.

III.

Acta facta in judicio summario fidem facere in judicio plenario tradunt Doctores in l. 15. apud quem. C. de edend. ubi, quando facta in prima instantia probent in alia. Mod. Venus. in eor. spec. 5. par. 5. dist. jud. num. 56. Et in genere acta facta in uno judicio probant in alio. Gail. l. 2. obs. 123. num. 4.

IV.

Pro solennitate actorum & processus præsumitur. Menoch. l. 2. præf. 68.

V.

Acta originalia in judiciorum scriniis servari debent. Speckb. p. 3. class. 3. q. 10. & iudex

CAP. IX.
Agere, Actio.

Axioma I.

Quoties res per contractum mihi debetur, toties contra tertium possessorem non agitur. Conf. supr. lib. 1. cap. 16. axiom. XI. Quia tertius ex nullo facto mihi obligatur, nec enim ipse mecum contrahit. Exemplum est in bonis contra jus protimiseos conventionale alienatis; horum enim nomine contra tertium, in quem bona translata, non agitur. Carpz. p. 2. const. 32. def. 8.

Limita: nisi tertius etiam mala fide rem perceperit, hæc enim ei patrocinari aut commodum afferre non debet. Carpz. d. l. def. 12. De hoc verò an iuri civili congruat, dubitat Struv. Syntagm. jur. civ. exerc. 23. §. 48. in fin.

II.

Actio servi corrupti utilis toties institui potest, quoties nostra interest alterum non corrumpi seu seduci. Nam hoc modo damnum ex corruptione nobis datum pensatur. Ita ob uxorem, liberos aliosve, qui sunt in nostra familia, corruptos datur hæc actio utilis. Conf. const. crim. Carol. art. 123. von Straffe der Verführung. Eadem & Principi datur ob corruptos ministros. vid. Brunnem. dissertat. de delict. serv. alteriusve hominis corrupti.

III.

Actio familiæ erciscundæ non competit iis qui non sunt coheredes neque verè neque putativè. Illis enim nullum jus competit ad hereditatem, & hinc frustra petent divisionem ejus, quod ipsis commune non est. Ita ergo contra eum, qui titulo singulari possidet, non datur hæc actio l. 37. ff. famil. ercisc.

IV.

Actio civilis non tollit criminalem, neque per executionem unius tollitur altera l. 3. C. de L. Aquil. Potest itaque læsus utramque actionem intentare in eodem libello, licet non æquè principaliter, quò casu dicitur actio mixta, quamvis sit criminalis. Perez. C. de superexaction. num. 3.

V.

Actio, quando sui naturæ non est transitoria, si semel transit, perpetuò erit transitoria l. videamus ff. quod met. caus. Hujus rei exemplum est in re prohibita alienari, nisi in certis casibus, quæ si primò alienentur in casu licito, fit perpetuò alienabilis. Conf. Timqvell. de utroque retract. lib. 1. §. 32. gloss. 1. num. 8. & 9.

VI.

Actio personalis spatium triginta annorum tollit l. sicut. §. omnes C. de præscr. 30. vel. 40. annor. Afflict. decis. 13. num. 2. etiam si præscribens esset in mala fide. latè Marc. Mant. conf. 297. n. 6. cum seq. vol. 1.

(Nn) 2

VII. Actio

VII.

Actio inutilis cedenti reputatur etiam inutilis cessionario. *l. apud Celsum. §. de auctor. ff. de dol. except.* Exceptio est in *l. qui fidejussor. ff. de fidejussor.* ubi, si ex duobus fidejussoribus in solidum unus est coactus à creditore, ut solvat, post solutionem creditor non potest amplius agere, & tamen qui solvit, potest petere cessionem actionis contra confidejssorem. *l. fidejussoribus. eod. tit.*

CAP. X.

De actione directa & contraria.

Axioma I.

Quoties in contractu bilaterali uterque ab initio obligatur, toties una tantum datur actio, quæ utrique contrahentium æqualiter competit & vocatur directa, quia ob directam & principalem causam obligationis, quæ utrinque subest, utrique parti æquale jus competit. Exempla sunt emptio, locatio, societas, &c.

II.

Quoties in contractu bilaterali unus ab initio, alter ex postfacto obligatur, toties contra illum datur actio directa, contra hunc contraria, quia alter principaliter obligatur, alter ex accidenti & per consequentiam. Exempla sunt in commodato, pignore, deposito, mandato, negotiorum gestione, administratione tutelæ, &c.

III.

Omnis actio contraria datur ad indemnitatem. Veritas hujus axiomatis patebit ex inductione specierum, ejusque fundamentum potissimum est, quod beneficium suum nemini debeat esse damnosum.

CAP. XI.

De actione reali, personali & mixta.

Axioma I.

Quæcunque actio ex jure in re oritur, ea est realis, nam jus in re est fundamentum actionum realium, & natura harum actionum potissimum in eo consistit, quod rem, ubicunque illa sit, afficiant, & contra quemcunque possessorem dentur. Exemplo sunt vindicatio, actio confessoria, hypothecaria & hereditatis petitio.

II.

Quoties actio ex contractu vel ex delicto oritur, toties est personalis. Quia sic agitur contra personam citra respectum ad ipsam rem.

III.

Quoties ex utroque, scilicet ex jure in re & ex obligatione personali actio oritur, toties ea est mixta §. 20. *Inst. de Action.* Ita enim participat de utroque & mixtam naturam habere videtur. Exempla sunt in *d. §. 20.* Sic actio communi dividundo, quatenus datur ad divisionem rei com-

munis, ex condominio adeoque jure in re oritur; quatenus verò venit ex facto alterutrius condominorum qui solus in possessione fuit, adeoque solus lucra percepit aut impensas erogavit, eatenus oritur ex quasi contractu & est personalis. Idem obtinet in actionibus familiæ herciscundæ & finium regundorum.

IV.

Actiones reales differunt à personalibus in quatuor: origine scilicet, naturâ, effectu & nomine. In rem scriptæ sunt personales origine & effectu; reales verò sunt natura & nomine.

CAP. XII.

De Actione confessoria & negatoria.

Axioma I.

Quoties quis se fundat in libertate naturali, in qua turbatur, toties ei competit actio negatoria. Quia hæc actio etiam de jure Canonico se fundat in libertate naturali: Ad exemplum autem servitutum hæc actio aliis quoque juribus applicatur, ut jus venandi, braxandij, academias habendi, ecclesias extruendi, dotandi, uniendi, conciones funebres suscipiendi, & reliquis innumerabilibus, quorum partem enarravit *Dn. Suendendorff. in Exposit. Action. Forens. Expositionis specialis section. 2. membr. 1.*

Limita, ut procedat, nisi libertas naturalis generaliter observantia, vel consuetudine sit immutata, uti ferè contingit in libertate venandi, piscandi, &c.

II.

Quoties quis se fundat in jure singulari seu privilegio, toties ipsi competit actio confessoria. Ejusmodi jura singularia sunt servitutes & alia. *Conf. Axiom. præced. & Oldendorp. de Action. Class. 3. act. 4.*

CAP. XIII.

De Actore.

Axioma I.

Quod conceditur actori, censetur etiam concessum reo. Nam actor & reus judicantur ad paria, etiam quoad privilegia. Hinc cum proximi sacrorum scriniorum habeant privilegium solvendi tantum dimidias sportulas, etiam cum his litigantes hoc privilegio gaudent. *l. 12. C. de proxim. sacror. scrin. Brunnem. C. eod. col. 3. n. 2.*

II.

Actor nunquam auditur, nisi sua inter sit *l. f. patroni §. fideicommissariam. ff. ad SCrum Trebell. Tinquell. de utr. retinet. lib. 1. §. 1. gloss. 2. n. 53.* & si ex facto postea desinat sua interesse, decet cessare ab actione *l. procuratorem §. mandati. ff. mandati. Tinquell. in tractat. de morti suis §. 2. part. 4. declarat. n. 9. f. 63.*

CAP.

CAP. XIV.

Actus.

Axioma I.

In quocunque actu consensus non est suspensus, ille est purus, quia ibi pura & præsens adest obligatio. Ita si ad sponsalia purus accedat consensus, pura sunt, quamvis executio fuerit suspensa. Idem est in Legatis.

II.

Actum nihil dicitur, cum quid superest ad agendum, vid. supr. Lib. 1. cap. 25. axiom. 26. Obstat hoc Axioma præmissis in testamentis. Hinc testamentum non valet, quod in mundum quidem iubente testatore redactum, nondum autem ei prædictum est. Job. à Sande Decif. L. 4. tit. 1. def. 5.

III.

Actus voluntarius ulterius non extenditur quam ex eo de necessitate infertur. Brunnem. ad l. 3. C. de his qui sponte munera.

IV.

Actus meræ voluntatis excludit juris necessitatem. vid. supr. Lib. 1. cap. 25. ax. 40. Hinc in actibus meræ facultatis nulla cadit consuetudo vel præscriptio. Non itaque domini possunt subditos cogere ut eis munera præstent, ne in aliis quam suis furnis panem coquant, ne aliis molendinis utantur. Et hoc in tantum procedit, licet prohibitionibus dominorum assensientes ad eorum molas perpetuo accesserint, imò licet princeps jus hoc prohibendi concesserit. vid. Perez. C. de auro coronar. numer. 8. §. 10.

V.

Actum, quem quis ipse non potest celebrare, nec per interpositam personam potest. l. pen. C. de his qui mer. caus. Brunnem. ad l. un. C. quib. ad conductionem.

VI.

Actus hominis reducitur ad intellectum juris. Aret. in l. 2. numer. 11. ff. de V. O. Jason latissime conf. 215. col. 2. vol. 2. etiam si verba essent improprianda. Rub. Conf. 82. circa fin. per doctrinam Bart. in l. uxorem §. agri plagam. ff. de leg. 3. quia censetur cogitare quod jus disponit. Jaf. Conf. 52. Conf. pen. Vol. 3. Ferrar. Conf. 105.

VII.

Actus nunquam dicitur notorius, quando est momentaneus. Bar. Butrig. in l. civis. C. de Appell. Curt. Conf. 21. Vol. 3.

VIII.

Actus semper debet denominari à digniori l. prima. in pr. ubi gloss. & DD. ff. de Verb. oblig. Tiraquell. de utroque retrah. Lib. 1. §. 30. gloss. in n. 15. maxime respectu antiquitatis l. in testamento. C. de Testam.

IX.

Actus in dubio, cum sit ab aliquo qui eum potest facere & nomine suo & alieno, semper præsumitur, quod fiat nomine proprio. l. & qui repertorium. 7. ff. b. r. Inventarium

magis p. off. de solut. E. g. si procurator solvat debitori, non declinans an suo, an domini nomine id faciat. l. Apinianus ff. mand. Tiraquell. de utroque retrah. lib. 1. §. 10. gloss. un. numer. 3. 4. Quia si nomine alterius in ipso actu fuisset facta mentio, utique nomine illius iudicatur, ut arguit Cravett. conf. 304. col. 2. part. 2. illi enim dicimus actum tribui, cujus auctoritate fit l. 1. §. omnia C. de V. f. Enucl. quod ex eo apparet, cum tantum ipse in actu denominetur. Corn. Conf. 310. vol. 3. & Conf. 38. n. 9. vol. eod.

Limita in tutore: nam quoties ille facit id, ad quod tenetur, licet id suo nomine faciat, censetur tamen pupilli nomine fecisse, quia res talis esse præsumitur, qualis esse debet, v. g. si tutor ex pecunia pupilli rem aliquam suo nomine emerit. Hart. Pittor. P. 1. q. 7. numer. 3. aut si tutor in chirographo propter debitum pecuniâ minoris contractum semetipsum creditorem nominari curaverit. add. Mascard. de Probat. Conclus. 1393. num. 9. & 14. Carpz. P. 2. Conf. 11. def. 38. Modò pupillus velit, ut suo nomine sit gestum. Alioquin retinebit in bonis emtis jus tacita hypotheca, Conf. Carpz. P. 2. C. 10. def. 21. in fin.

X.

Actus quando potest trahi ad bonum & ad malum, semper intelligitur de bono. Sand. in cap. dilecti Col. 3. de accus. & quando potest etiam incurrere penam, intelligimus quod non incurrat l. Labeo. §. si communem. ff. de injur. Negus. de pignor. part. 4. princ. num. 27. fol. 233. Ita actum, qui potest esse factus tempore prohibito & tempore permissio, intelligimus de permissio. Alex. in l. non solum. §. sed ut probari ff. de Nov. op. nunc. denique si actus resultat in duo delicta, debet accipi pro delicto minori. Freccia conf. 5. post num. 48.

CAP. XV.

De Administratore.

Axioma I.

Quoties hypotheca in bonis administratoris competit, toties illa non à tempore damni dati sed susceptæ administrationis incipit. Quia plenè cautum esse debet illis, quorum bona administrantur, & quia administrator non minus tenetur de neglectis quam de malè gestis. t. tit. C. si Tut. vel Cunt. non gest. Ita hypotheca tacita in bonis tutoris incipit à die susceptæ tutelæ & non solum competit pro sorte principali, sed & pro omnibus accessionibus. Carpz. P. 2. Conf. 14. def. 12. Et transit etiam ad heredes pupilli hæc tacita hypotheca, non tamen ejus privilegium, utpote quod est personalissimum. Mev. P. 8. decis. 393.

II.

Quicumque administrat bona aliena, ille regulariter tenetur ad Inventarium. Quia omnis administrator tenetur ad rationes. l. Tutor. qui repertorium. 7. ff. b. r. Inventarium (Nn) 3 autem

autem est caput & fundamentum rationum. Mev. P. 3. Dec. 180. n. 1. Itaque etiam tutoris heredes ad Inventarium tenentur.

Limita, ut si non semper sciendum sit Inventarium solenne, ad minimum tamen teneantur ad juratam specificationem.

III.

Quoties quis ex administratione sua convenitur, toties provocare potest ad locum gestae administrationis. *tot. tit. C. ubi de Ratjocin.* Quia ibi, ubi administratio gesta, facilius est probatio, & videtur administrator ibi quasi contraxisse & se suas rationes loco illi subiecisse. Exempli loco vid. Carpz. L. 3. Resp. 33. num. 10. & Mev. P. 8. decis. 267. ubi dicit, remittendum esse ministrum, qui ad rationes tenetur, ad locum, ubi aliena administravit.

Limita, ut procedat, si ratione administrationis sint examinandi, non si saltem editio rerum petatur; cōdex enim rationum extra locum administrationis peti potest. Carpz. d. Resp. 33. num. 20.

IV.

Quoties quis in administratione rerum peccat, toties minus punitur. *l. tres tutores 55. ff. de adm. Tut.* Quia talis non tam invito domino rem contrectat, quam potius perfide agit. Quae perfidia purgari potest actione ex contractu. Exempla sunt in tutoribus, curatoribus, quastoribus &c. si aliquid ex rebus fidei suae concreditur intervertant. Idem in depositario, commodatario &c. adstruit Carpzov. *Pr. Crim. q. 85. n. 65.*

Declarat: nisi manifeste constet de animo furandi, item in administratore publici frumenti. Brunnem. *ad l. 3. C. de condit. in publ. borr.*

De administratione Tutelae vid.

Tutela.

V.

Administrator quilibet tenetur rationes reddere, Brunnem. *ad l. 5. C. de Exat. Trib.* & quidem tributorum non finito officio, sed singulis quadrimestribus. Brunnem. *ad l. 1. C. de Apoch. publ. in fin.*

VI.

Nullus rei alienae administrator, adeoque nec procurator fisci, exceptionem non numeratae pecuniae habet. Brunnem. *ad l. fin. C. de Apoch. publ.*

VII.

Administrator ab officio suspensus vel de mala administratione accusatus, nec ad pristinam nec ad novam dignitatem aspirare potest. Perez. *C. de Reis postulat. n. 3. 4.*

VIII.

Administrator quandoque ei, cujus negotium gessit, damnum vel non, vel sortem tantum, vel sortem & usuras refarcire tenetur. Vid. Perez. *C. de his qui ex officio. num. 1. 2. 3.*

CAP. XVI.

De Adoptione.

Axioma I.

Quicumque per naturam pater esse nequit, ille nec per legem seu adoptionem, quia adoptio naturam imitatur §. 4. *Inst. de adopt.* ubi exemplum. Ita ergo hermaphroditus, in quo virilia praevalent, adoptare potest; at in fratrem quis adoptare nequit. *l. 7. C. de her. suscip.*

II.

Quicumque incapax est patriae potestatis, ille adoptare non potest, v. g. foemina, nisi in solatium liberorum amissorum §. 10. *Inst. de adopt.*

III.

Statutum loquens de filiis non intelligitur de adoptivis. Gail. *L. 2. obs. 136. n. 16.*

CAP. XVII.

De Adulterio.

Axioma I.

Quoties actu secundo matrimonium non affuit, seu quoties adest impedimentum cohabitationis, toties ordinaria adulterii poena remitti solet, quia sic persona adulterium committens non peccat ex intemperantia pro objecto vagas libidines habens, sed ex quadam incontinentia, quae licet ab omni poena non eximat, liberat tamen ab ordinaria. Carpz. *Pract. Crim. q. 61. n. 53. & decis. 291. num. 4.* Ita ordinaria poena remittitur, si persona, respectu cuius fœdus conjugale violatum est, furore aliove morbo contagioso laboret, si debitum conjugale denegaverit diutius, si separatio à thoro & mensa decreta fuerit.

Amplia, ut etiam procedat in poena adulterii non capitali, nam & hæc eo casu est mitiganda.

II.

Adulterium semper committitur, si concubitus intercedat cum aliena uxore: hinc non excusatur ille, qui conjugatam more meretricio se prostituentem cognoscit. *Gloss. in l. fœda q. 2. C. ad L. Jul. de adul.*

CAP. XVIII.

De Advocato.

Axioma I.

Advocati illustrium & spectabilium judicum nil sordidum & grave munus subire tenentur, etiam non adimpleta advocacy. Ceteri omnes autem post advocacy viginti annorum ab omnibus muneribus personalibus & sordidis, etiam hospitalitibus sunt immunes, possunt, ubi voluerint, commorari, commodis & privilegiis suis uti, nec adstringi ut aliena negotia suscipiant. Perez. *C. quib. muner. excus. n. 3.*

II.

Advocato justum debetur salarium nec ille postulare tenetur pro vili pretio. *Viv. i. decis. 123.*

Limita: pauperibus advocati patrocinari debent gratis & sine ullo vocis pretio. *Gail. L. 1. obs. 43. n. 11. segq.*

CAP.

CAP. XIX.

De *Æstimatione*, *Æstimo*.

Axioma I.

In quocunque actu agitur de domino transferendo, in eo *æstimatio* rei adjecta facit venditionem *l. 10. ff. de fund. dotat.* quia sic *æstimatio* est pretii loco, quod in emptione vel venditione aliàs intercedit. Ita ergo si prædium vel quæcunque aliæ res in dotem datæ deperditæ fuerint, dominium & periculum earum ipeceabit ad maritum. *Carpz. P. 3. Conf. 33. def. 16.*

Declaro, ut in aliis causis, in quibus non agitur de dominio transferendo, *æstimatio* saltem ideò adjecta videatur, quò, si res perierit, aut deteriorata fuerit, constet, quantum sit restituendum, v. g. in commodato, locato. &c. (2.) Modò ab initio statim seu tempore traditionis *æstimatio* adjecta fuerit, non, si ex intervallo. *Carpz. d. Def. 26.*

Limita: nisi aliunde constet, taxationis causa saltem adjectam esse *æstimationem*, quò, si res culpa detinentes deterioretur, de pretio ejus constet. *Conf. l. 5. & 21. in fin. C. de jure dot.*

II.

Quoties Jura alicui bonâ fide quid facienti addiunt dominium, toties alteri semper relinquunt actionem in factum ad consequendam *æstimationem* rei vel operæ, arg. *l. 23. §. 5. in fin. ff. de R. V.* quia alioquin bonâ fide ipeccicans locupletaretur cum alterius damno & jacturâ. Exempla sunt in §. 42. *Inst. de R. D.*

De *æstimatione* ob Moram
vid. *Mora*.

III.

Æstimatio rerum in inventario describi debet. *Rol. à Valle. Vol. 2. Conf. 73. num. 49.* Contrarium sentit *Brunnem. ad l. fin. §. 3. in fin. C. de jure delib.*

IV.

In singulis civitatibus constituendi sunt publici ponderatores, qui bona fide & industria de valore, bonitate & quantitate auri, pecuniæ & vasorum argenteorum judicent, quorum sententiâ tamdiu statur, donec prudentiores contrarium demonstraverint. Et debent constitui plures, non unus. *Perez. C. de ponderat. numer. 1. §.*

V.

Res regulariter certo pretio *æstimanda* est, nisi in incerto proventu consistat. *Brunnem. ad l. 2. C. de veter. numism. potest.* nam *æstimatio* rei, præsertim immobilis, probatur secundum *æstimationem* reddituum inde perceptorum. vid. *supr. Libr. 1. Cap. 41. axiom. 3.* etiam ubi de solutione contributionum & conficiendo *æstimo* publico agitur. Qui igitur plus percipit, plus solvat, & fertiles fundi suppleant defectum sterili-

um. *Perez. C. de Apoch. publ. num. 4. seqq. & C. de superexact. num. 6.* idem attendunt in beneficio competentia. *Brunnem. ad l. 2. C. de pred. & omn. p. navit. num. 5.* Hinc in renovatione ædificii singuli possessores vocantur, at in *æstimatione* territorio sufficit vocare rectores illius. *Perez. C. de susceptor. n. 5. seq.*

VI.

Æstimo seu catastrosum à discussoribus confectum semper à præside vel superiore confirmandum: quod conficiendum secundum æs & libram in eoque describenda non tantum immobilia. *Brunnem. ad l. 1. C. de Apoch. publ. in pr.* Edendum etiam petentibus *Æstimo* & ad illud pertinentia. *Perez. C. de Exact. Tribut. numer. 2. 3.* Auditis denique partibus confirmandum, singulisque quadrimestribus revidendum, examinandum & peræquandum est. *Brunnem. ad l. 1. C. de apoch. publ. num. 2.*

VII.

Æstimatio fieri debet in præsentia ejus, cujus interest: Si tamen is per fraudem absens sit, tolleratur etiam iniqua *æstimatio*. *Perez. C. de Conf. num. 5.* & res *æstimanda* oculis subijcienda est. *Brunnem. ad l. 3. C. cod. n. 1.*

VIII.

Res mobilis ita ab actore & judice taxanda, prout in foro publico vendi solet. *l. 8. C. de Cohortal. & Princip. Brunnem. C. cod. Col. 4. in fin.*

IX.

Taxatio rerum ad quoridianum vitæ usum necessarium non à mercatoribus sed Magistratu civitatum fieri debet, *Perez. C. ut nemini liceat in coemt. num. 6.* Et taxam excedentibus potest rei amissio & multa imponi. *Perez. d. l. n. 7. seq.*

Limita: taxari ita tantum posse res, quæ reperiuntur in loco atque ibi natæ expositæque sunt venditioni; secus est in frumentis, quæ foris apportantur & alibi creverunt. *l. 3. §. 1. ad l. Jul. de annon.* quia si moderatum pretium granis, quæ foris advehuntur, imponeretur, venditores detererentur & penuria sequeretur. *Perez. d. l. num. 9.*

CAP. XX.

De *Ætate*.

Axioma I.

Ætas computatur non à die conceptionis, vel eo, quò animatus in utero fuit, sed à die natiuitatis. Posthumum tamen retrò natum fingunt, quoties de commodis partus quæritur. *l. 7. ff. de stat. hom.*

II.

Ætatis privilegio renunciari potest *l. 2. §. fin. ff. de Decur.* *Perez. C. cod. n. 18. 20.*

III.

Ordo prælationis quoad ætatem inter dignatione pariles rectè constituitur. *Knichen de Sax. non provoc. jur. cap. 2. n. 104. seqq.*

(Nn) 4

IV. Digni-

IV.

Dignitas interdum supplet aetatem. Hinc licet militiae tyrones 17. anni nati esse debuerint, ob merita patrum tamen nobis impuberes etiam admissi sunt. *l. fin. C. de Testam. milit. Perez. C. de Tyron. n. 1. 2.*

CAP. XXI.

De Affinitate.

Axioma I.

Quoties matrimonium includitur duabus lineis, toties persona, de quibus quæritur, non sunt affines. Quia quævis linea recta denotat consanguinitatem seu familiam, inter diversas verò familias non poterit esse affinitas. Hinc igitur duo fratres duas sorores ducere possunt. *Carpz. Jurispr. Eccles. l. 2. def. 104.*

II.

Quoties de cognatis uxoris & cognatis mariti inter se quæritur, toties nulla inter ipsos est affinitas *cap. 5. X. de consang. & affin.* non enim affinitas familiam familiæ, sed unam tantum personam conjugatam alterius familiæ jungit ob unitatem nimirum carnis, quæ est inter conjugatum & conjugatum. Ita frater mariti & soror uxoris inter se non sunt affines.

III.

Quoties persona affini alia persona jungitur matrimonio, toties mutatur genus affinitatis, quia hic ex nova unione carnis nova iterum inducitur affinitas. Hic ergo novum quoque instituitur genus, v. g. inter me, & fratris mei uxoris secundum maritum intercedit genus secundum. Et hoc est, quod dicitur, nuptias novas non mutare gradum sed genus attinentiæ.

IV.

Quoto gradu persona uni conjugum juncta est consanguinitate, toto gradu juncta est alteri affinitate; quia conjuges per matrimonium factæ sunt una caro, *Gen. 2. v. ult. & propter hanc unitatem carnis unicam representant personam.*

V.

Quousque matrimonium prohibitum est inter consanguineos, eousque etiam prohibitum est inter affines primi generis. Ratio consistit in unitate carnis, quæ est inter conjuges. Ita ergo quis non potest ducere novercam nec defunctæ uxoris sororem. *Carpz. Jurispr. Eccles. l. 2. def. 99. & seqq.*

VI.

Quoties nullus parentelæ respectus, toties in secundo genere affinitatis nulla prohibitio matrimonii, quia hic nulla proximæ carnis propinquitatis neque honestas naturalis obstat, quæ in contrahendis matrimoniis potissimum attenditur, hinc cessante ratione prohibitionis cessat ipsa prohibitio. Hinc igitur quis ducere poterit sororis suæ mariti uxorem secundam, item defunctæ uxoris fratris viduam, vid. Köppen. *de usu priv. Instit. l. 1. obs. 40.* at vitricus non poterit

ducere privigni viduam ob respectum parentelæ.

CAP. XXII.

De Agro, Agricultura.

Axioma I.

Decuriones tenentur agros desertos vel steriles suæ civitatis cum triennii immunitate accipere ad colendum; si autem hi non sufficiunt, inditiores cives distribuuntur. *l. 1. 16. C. de omni agro deserto.* Imò privati tenentur etiam procul distos accipere, si ibi nullus idoneus receptor, & qui inde Canonem solvere possit, reperitur. Hæc coactio autem tunc demum procedit, (1.) ubi quis fertiles agros jam possidet *l. 10. C. eod.* aliàs enim fundos steriles accipere nemo tenetur *l. 12. C. eod.* (2.) si adscriptitium malâ fide receptum quis reddere noluerit, tunc enim fundus ei accrescit. *Nov. 17. cap. 14. Perez. C. eod. numer. 7.*

II.

Favore agriculturæ fundos steriles suscipientibus datur immunitas, si privati fundi sint, triennium. *l. 1. C. de omni agro deserto.* si principis, biennium. *l. 7. C. eod.* Imò si fundo duplex onus inhærebat, unum adimebatur etiam in præjudicium fisci *l. 15. C. eod.*

III.

Dominus agrum suum pascuum in arva commutare potest, non obstant, quòd nunquam antea fuerit factum. *Perez. C. de pasc. publ. num. 9. 10.*

IV.

Cultura agri Reipubl. maximè necessaria est, itaque aliis permittere non possumus, ut in fundo nostro thesaurum quærant totumque agrum perfodiant. *Perez. C. de thesaur. n. 4.* hinc colonis nulla extraordinaria onera imponi possunt. *l. 1. C. de agric. & censit.* neque onera publica subeunt *l. 4. C. eod.* imò tanti æstimabatur agricultura, ut ab aratro Consules & Dictatores accerferentur. Mirum ergo quòd ea mendicantibus validis penâ statuatur, ut perpetui coloni fiant. *Perez. C. de mandic. valid. n. 7. 8.* Variis quoque privilegiis rustici gaudebant favore agriculturæ. Sic (1.) sine solennitate testari possunt *l. fin. C. de Testam.* (2.) solam Capitationem solvunt, ipsi autem neque eorum equi, jumenta &c. sub gravi penâ ad alia obsequia cogi nequeunt, ne quidem prætextu muneris publici *l. 1. 2. C. ne Rustici ad ult. obsequium.* (3.) equi eorum & instrumenta aratoria pignori, aresto, executioni subijci nequeunt. (4.) alicubi ob debitum civile carcerari nequeunt. *Perez. C. eod. num. 1. seqq.* (5.) Princeps non potest homines ab agricultura abstrahere & privilegium militiæ concedere. *Brunnem. ad l. 3. C. de fugitiv. Colon.*

CAP.

CAP. XXIII.

De Alienatione, Alienatio.

Axioma I.

Quicumque habet potestatem & voluntatem, rem in alium transferendi, ille recte alienat *l. 55. ff. de O. & A.* quia nihil tam conveniens est naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferre, & alterius volentis illam recipere, rati haberi *l. 9. §. 3. ff. de A. R. D.*

Limita, ut procedat, nisi dissensus fuerit in causis *d. l. 36.* ubi tamen adhuc dominium transferitur, licet effectus translationis dominii non sit perfectus, cum nummi possint condici ab eo qui accepit, uti intelligenda *l. 18. ff. de R. J. conf. Zas. ad ff. de A. R. D. n. 90.*

II.

Cuicumque concessa libera potestas administrandi, illi non statim concessa censetur facultas alienandi. Quia administratio non involvit alienationem & alienare non est administrare. *l. 22. C. de pact.* ita tutor non poterit jus liquidum pupilli remittere. *d. l. 22.* ita nec maritus nomen liquidum uxoris permutare potest cum illiquido, uti decusum in Facultate Juridica Viadrinā refert *Brunneman. ad l. 55. ff. de procur. n. 1.*

Limita: ut non procedat in alienatione, quæ sit utiliter, & ad quam requisita legalia sunt adhibita *l. 1. §. 2. ff. de Tutel. & mt. distm.*

III.

Quicumque vel ætatis vel intellectus defectu non laborat & liberum rerum suarum dominium habet, ille alienare potest. Cum enim ob has causas aliquis prohibeatur alienare cessantibus illis, cessabit ipsa prohibitio, & res iterum redibit ad naturalem libertatem, juxta quam quilibet rerum suarum moderator & arbiter est arg. *l. in remandata. 21. C. de Mand.* Ita propter defectum ætatis alienare non possunt pupilli & minores, propter defectum intellectus furiosi & mente capti, quibus accensetur prodigi; propter defectum liberi dominii alienare prohibetur maritus res dotalis, debitor res suas in fraudem creditorum, nec non suspectus de fuga, si desiderante creditore alienatio bonorum ipsi interdicta sit *l. 8. de pollicit.*

IV.

Quoties alienatio per legem vel testatorem est prohibita, toties, si fiat, est ipso jure nulla, quia legis & testatoris prohibitio rem ipsam afficit. *Conf. l. 69. §. pen. de legat. 2. l. 77. §. 27. eod.* ubi exempla de fideicommissis familiaria.

Limita: nisi alienatio sit necessaria. vid. *Servu. Jurispr. Rom. Germ. Forens. Lib. 2. Tit. 26. §. 13.*

V.

Quoties per pactum prohibita alienatio, toties si fiat, subsistit, & contra alienantem tantum ex pacto agitur, quia pactum non reman-

et sed personam tantum, *Stryck. Caustel. Contract. sect. 1. cap. 3. §. 32. Wiffenbach. in Comment. ad l. 3. C. de condit. & test. dat. Huber. prælect. ad Instit. quib. al. n. licet. n. ult.*

Limita: nisi pacifcens sibi jus pignoris in re alienari prohibita reservaverit; tunc enim alienatio nulla est. *l. 7. §. fin. de distract. pign. Sande de probib. rer. alienat. P. 4. C. 1. n. 2.*

VI.

Quoties ob debita testatoris res ab eo alienari prohibita distrahenda, toties alienatio valebit in perpetuum. Nam ob talia debita ipse testator res suas pro libitu alienare potuisset.

VII.

Quoties ob æs alienum heredis fideicommissum detrahitur, toties alienatio ad dies vite heredis subsistit, nam resolutio jure dantis resolvitur accipientis *l. vestigali 31. ff. de pign. & hypoth.*

Limita: ut procedat de alienatione necessaria non voluntaria: per hanc enim alienans statim jure suo cadit. *Brunnem. ad l. 69. ff. de Legat. 2. n. 3.*

VIII.

Alienis in rebus nemo quicquam contra dominii voluntatem facere potest. vid. *supr. Lib. 1. Cap. 51. Axiom. 6.* Hinc, si quis alienum fundum ingrediatur, potest à domino conveniri injuriarum, & prohiberi *l. 3. de acquir. rer. dom. l. 13. §. fin. de Injur.*

Limita (1.) si dominus in suo fundo metalla quarere recuset, potest alius eo invito ibi fodere, modo pretium domino præstetur & superficies non corrumpatur *l. 13. §. 1. commun. præd.* Idem obtinet in quarendis lapidibus pretiosis & non vulgaribus, modo non ædes periculose suffodiantur *l. 6. C. de Metallar.* aut venæ vicini putei obstruantur *l. 24. §. fin. de damno infect.* aut cum nimio domini incommodo fiat *l. 24. §. 16. ne quis in loc. publ.* (2.) Inspector publicus privatas domus ingredi potest, e. g. ad indagandum an quid aquæductui publico noxium in iis extractum sit *l. 6. in fin. C. de aqueductu,* & quandocumque hoc utilitas publica postulat. *l. 2. C. de serv. fugitiv.* (3.) Dominus servum aut vasallum fugitivum in alienis prædiis perquirere potest, penâ impositâ ei qui prædium ingredi non permisit *l. 1. §. 2. l. 3. de fugitiv.* (4.) possum facere in alieno fundo, quod mihi prodest & domino non nocet *l. 2. §. 5. de aq. & aq. pluvi. arcend.* Hinc fructibus collectis pecora in vicini agros mittere possum, ut herbas naturâ illic crescentes depascantur, quas dominus nec vendere nec demetere consuevit. *Perez. C. de pasc. publ. n. 7. seq.*

IX.

In alienationibus servanda est forma à lege præscripta, hæc enim neglecta altera ipso jure nulla est. *Perez. C. de Jur. Reip. n. 17.* hinc res civitatis absque consensu principis alienari nequeunt *l. fin. C. de vendend. reb. Civitat.* nisi magistratus civitatis potestatem habeat condendi statuta. *Brunnem. ad d. l. fin. C.*

(Nn) 5

X. Ne-

X.
Nemini alienatio rei sua prohibita est, etiam si oneri vel pignori obnoxia sit. *l. 67. de Contr. Empt. nisi prohibitio secundum quid fiat. l. 14. C. ead. l. 34. §. 1. ff. eod.*

XI.
Alienatio etiam tacite fieri potest. Hinc si quis patitur alteri fundum adscribi in catastro, idque fiat in iudicio, videtur in eum alienasse. *Brunneman. ad l. 14. C. de omni agro deserto in fin.*

XII.
Ubi alienatio est prohibita, ibi & oppignoratio prohibita est, licet hac revocabilis sit per luitationem. *Perez. C. de vendend. reb. civit. n. 6.*

CAP. XXIV.

De Alimentis.

Axioma I.

Quoties liberi aliunde vitæ subsidia habere possunt, toties mater ad alimenta non est obstricta. Ratio est in *Lib. 1. Cap. 53. axiom. 1.* & mater tantum in subsidium tenetur. Ita, si pater vel avus sit superflus aut liberi artem calleant, unde sibi victum quærere possunt, mater ad alimenta non tenebitur.

Amplia: ut mater ad alimenta non teneatur, licet liberi iis indigeant, si mater adeo inops fuerit ut seipsam sustinere non possit.

II.

Quoties alimenta debentur ex lege seu jure sanguinis, toties etiam disciplina continentur; nam eo casu æquè ad corpus sustentandum ac animam excolendum aliquis est adstrictus. *l. 3. §. 5. ff. ubi pupill. educ.* ita ergo pater & tutor tenentur ad mercedes præceptorum *l. 4. ff. eod.*

Limita, ut procedat in disciplinis necessariis, v. g. lesen und schreiben. Non in illis, quæ faciunt ad bene esse. *Surdus de aliment. l. 6. n. 8.*

III.

Quoties alimenta debentur ex promissione, toties nomine eorum disciplina non veniunt. Quia sic alia ratio est alimentorum, alia disciplinarum: Illa enim necessaria sunt, utpote sine quibus nemo potest vivere; hæc non item. In dubio autem promissio ita interpretanda, ut quam minimè oneret promittentem. Exemplum est, si alimenta debeantur ex contractu vel legato *l. 6. ff. de dim. vel cibar. legat.*

Limita: nisi ex conjecturis appareat, testatorem etiam de disciplinis sensit. *l. 7. ff. eod.*

IV.

Quoties alimenta inhabili ad ea paranda relinquantur, toties tamdiu debentur, quamdiu ad est inhabilitas, aut ille victum sibi parare nequit. Tamdiu enim aliquis indiget alimentis, & omnis dispositio intelligitur rebus sic stantibus. *cap. 2. X. de renunc.* Exemplum est in mente captis & stupidis.

V.

Quoties alimenta relinquantur illi, qui ea sibi parare valet, toties debentur in perpetuum. Quia favore alimentorum indefinita locutio æquipollet universalis, præprimis hoc casu, ubi alia conjectura capi nequit. *l. 14. pr. de aliment. legat. ibique Barc. & DD.*

VI.

Sicut de alimentis futuris transigi non potest *l. 8. ff. l. 8. C. de transact.* ita nec aliud pro iis solvi debet, ne alimentario præbeatur occasio vendendi ea, quæ ad alendum eum destinata. Panes tamen civiles ab Imp. distributi inter cives vel scholares militiæ vendi vel soli vel cum ædibus tanquam privilegium iis inhærens possunt. *l. 1. C. de annon. civil.*

VII.

Alimentarius non potest pecuniam pro speciebus adeoque aliud pro alio petere. *Brunnem. C. de Eroga. milit. annon. col. 3.*

CAP. XXV.

De Alio, Altero.

Axioma I.

Alteri per alterum proficua conditio inferri non potest; ita frater fratris vacatione à muneribus non gaudet, nec alter alterius præscriptione. *Perez. C. de muner. & honor. non contin. n. 9.* nec quidem filius ob munera patris. *Brunnem. ad l. 1. C. eod.*

II.

Aliud pro alio à creditore exigi non potest. Hinc dominus non potest operas subditorum in alias, licet similes, convertere. *Brunnem. ad l. 5. C. de Agric. & censu. n. 2.* nec pro fructibus pecuniam exigere. *Perez. C. eod. n. 27.* hinc nec is, cui alimenta debentur, potest pro iis petere pecuniam. Limita: nisi debitor sit in mora. *Brunnem. d. l. n. 3.*

III.

Ex alterius contractu vel delicto nemo conveniri, nec res ejus pignorari potest, licet hic ex eodem vico vel civitate sit. *l. un. C. ut nullus ex vicancis.* Ne quidem pro publicis debitis *l. 4. C. de Exactor. & Executor.* hinc ab alio aliquid extorquens quadruplum refarcire tenetur & exilio puniatur. *N. 52. c. 1. N. 134. c. 4.* ut & consilium dans ad extorsionem. *d. Nov.* specialiter autem pro aliis pignorari prohibentur Studiosi, *auth. habitata. C. ne filius pro patre.* Clerici. *cap. 1. de Injur. in sexto.*

Limita: Repressalia tamen hodiè contra alterius principis subditos conceduntur. Sed requiritur (1.) ut causa sit gravis & liquida, (2.) ut accedat jussus supremi principis, (3.) ut à Magistratu lædenti exteri justitia sit denegata, (4.) Res detentæ sub hasta publicè vendantur. *Perez. t. 1. c. ut nullus ex vicancis.* ob dictam regulam sequitur, incolas, qui suas collectas solverunt, non teneri ad expensas executionis contra morosos factas. Equum enim est, ut quilibet delicti sui poenas luat, & sic morosi solvent soli expensas executionis. *Brunnem. ad l. 12. C. de omni agro deserto.*

CAP.

CAP. XXVI.
De Amicitia, Amico,
Amore.

Axioma I.

Ad officia publica nemo ex amicitia sed comodo Reipubl. eligendus est *l. un. C. si propter inimicitias.*

II.

Casus pro amico est casus pro diabolo. Limita, in causis iustitiæ: si enim utriusque litigatoris petitio æque iusta videatur Judici, hic pro amico pronunciare non potest, quia hac ratione alteri, qui æque bonâ causâ nititur, suum non tribuere-
tur contra *l. 24. §. 4. pr. ff. de Minor.* Præstat ergo partes ad transactionem inducere vel rem forti committere. Fallit ergo Axioma in causis gratiæ & beneficiorum.

CAP. XXVII.
De Amissione.

Axioma I.

Amissio apochæ solventi non nocet quando de fide illationis & solutionis factæ sufficienter constat ex libro rationum publicarum *l. 2. C. de discuss.* qui solventi edendus est. *Nov. 128. cap. 4.* adeo ut collator non teneatur huiusmodi casum probare. sed sufficit allegare, sine culpâ suâ se apocham amississe. Imò si hoc casu de solutione nihil contineatur in dicto libro, non deneganda est debitori petenti renovatio apochæ continentis solutionem factam & amissionem. *Perez. C. de discussor. n. 8. seqq. vid. Franck. Lib. 2. Resol. 14.* Dissentit *Brunneman. ad l. 2. C. de Apoch. publ.*

II.

Non restituuntur amissa, nisi in pristinum statum res restituatur. *vid. Matth. de Affict. super 3. Feud. Tit. de beneficio famina cap. 1. §. ex hoc. n. 35. pag. 60.*

De Anatocifino *vid. Rubr. Usura.*

CAP. XXVIII.
De Animalibus mansue-
tis & mansuæ factis. *Conf. Rubr.*
Fera bestia.

Axioma I.

Quodcumque juris est in vindicatione rei nostræ corporalis, idem juris est in animali mansueto. Quia bestia talis æquæ est in dominio ac alia res corporalis. Hinc animalia ejusmodi vindicari quocumque tempore possunt, & si aufugerint, detineri ab alio absque crimine furti non possunt. *§. 16. Inst. de R. D. si scil. animus lucrandi adsit. Koppen in usu Pract. Instit. obs. 71.*

II.

Quodcumque juris est in bestia manifestata capienda, idem quod in bestia est in captura apum, pavonum & columbarum, quia etiam hæc animalia fera naturam habere videntur *§. 14. seq. Inst. de R. D. cum liberè vagentur, facileque emanere soleant.*

Limita: ut tamen apum captura hodiè sit paulò liberior, si integrum examen evolaverit, wenn sie schwärmen.

CAP. XXIX.
De Animo.

Axioma I.

Quoties in Jure aliquid fieri dicitur solo animo, toties non excluduntur verba sed facta. Quia sine verbis aut aliis signis non potest constare de animo, cum propositum in mente retentum nihil operetur. *l. 7. C. de Condict. ob caus. Exemplum est in §. ult. Inst. de hered. qual. & differ. quod aliquis solo animo suscipiendæ hereditatis heres fieri possit.*

De animo injuriandi *vid. Injuria.*

II.

Animus viciat multas actiones suâ naturâ non illicitas, ut censum in Davide *2. Sam. 24.* thesaurorum ostensionem in Ezechia *2. Reg. 20. v. 13.* Fiduciam in Ægypto positam *Es. 31. Grotius de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. cap. 15. §. 9. n. 9.*

CAP. XXX.
De Anno, Annuo.

Axioma I.

Relictum annuum respectu certæ necessitatis debetur eo tempore quò est necessitas. *Brunnem. C. de Militar. veste. col. 1.*

II.

Anni unius damnum cum alterius lucro compensatur. *l. 15. §. 4. ff. locati.* Hoc non procedit, ubi deest mutus & correlativus respectus annorum. Hinc licet quis ob competens privilegium quotannis evehendi certam frumenti quantitatem ob sterilitatem unius anni nihil eveherit, sequenti tamen anno uberiore non potest sarcire damnum evehendo plura quàm quolibet anno licet. *Perez. C. ut nemini liceat in coemt. n. 2.*

III.

Annus cœptus habetur pro completo: hinc integri anni salarium salarati heredibus præstatur, ut & legatum annuum *l. 4. de offic. assessor. l. 5. de annua legat.*

Limita: (1.) in marito usufructuario ejus temporis quò matrimonii onera fert. (2.) servo operas locante *l. 25. §. 12. de usufr.* (3.) Beneficiario Ecclesiastico, hujus enim heredes fructus proportionatè temporis cum successore dividunt, *Perez. C. de annon. civil.*

num. 7.

CAP.

CAP. XXXI. De Antichresi.

Axioma I.

Quoties fructuum certa est perceptio, toties debent in Antichresi usuris esse proportionati *l. 1. §. 1. ff. de pign.* quia alioquin fraus fieret legibus certum modum usuris imponentibus. Ita ergo si creditor ædes, quas sub pacto Antichreseos habet, alteri locet, tenetur omnes fructus, qui legitimus usurarum modum excedunt, restituere ac in sortem imputare *l. 14. C. de usur. ibique Gothofr. lit. T.*

Limita: ut tamen modicus excessus non attendatur. *Hahn. ad Wesenb. Tit. de pign. n. 5.*

II.

Quoties fructuum incerta est perceptio, toties excedere poterunt usuras ordinarias *l. 17. C. de usur.* Quia sic etiam contingere poterit, ut tales fructus ne quidem æquent usuras legitimas: Hinc iustum est, ut ejus sit commodum, cujus est periculum *l. 10. ff. de R. j.*

Limita: nisi excessus planè sit immodicus, sic enim ad æqualitatem est reducendus. *Carpz. P. 2. Consl. 30. def. 41.*

CAP. XXXII.

De Anticipatione.

Anticipatio debita pecuniæ est concessa. Non tamen potest susceptor publicus à debitoribus fiscalibus aliquid interusurii nomine accipere vel exigere propter promptam vel anticipatam solutionem, nisi pro ratione veri interesse. *Perez. C. de auri publ. persecut. n. 5.*

CAP. XXXIII.

De Antiquis, Antiquitate.

Axioma I.

Antiqua non facile mutanda. *l. 20. de option. Legat.* Hinc antiquæ pensiones prædiorum principis ab officialibus augeri non possunt. *Brunnem. ad l. 1. C. de pasc. publ. n. 1.*

Limita: nisi ob causas noviter emergentes. Itaque solutio annonæ, si tractu temporis efficiatur iniqua, per Judicem ad æquitatem redigenda *l. 2. de Cens. Brunneiman. ad l. 10. C. de fund. patrim.*

II.

Antiquum factum dicitur 40. annorum *Matth. de afflicto. super feud. cap. cum autem. de controvers. investit. n. 22.*

CAP. XXXIV.

De Apocha.

Axioma I.

Apocha, quæ non probat contra tertium, probat tamen contra ipsum scribentem. Apocha

tamen officialis publici probat contra præponentem & fiscum, eique præjudicat, quatenus est solvendo. *Brunnem. in l. 2. C. de conven. fisci debitor. l. 4. C. de discussor.*

II.

Cum fiscus non habeat fidem de pretio, Apochâ publicâ solenniter confectâ & datâ supponitur realis solutio & rationum discussio. Itaque contra eam non potest opponi exceptio non numeratæ pecuniæ. Habet enim exactor paratam exigendi facultatem, ut ita de non receptis confellum esse non credendus sit. *Perez. C. de Apoch. publ. n. 4. 10. 12.*

III.

Hodiè in Apochis debitoris, exactoris nomen, annus, mensis & dies, nec non causa debendi requiritur. *Brunnem. ad l. 1. C. de apoch. publ. §. 4.*

De amissione Apochæ vid. *Amisio.*

CAP. XXXV.

De Appellatione. Conf. Rubr. Sententia.

Axioma I.

Ubiqve defensio adhuc est permilla, ibi non deneganda est appellatio in criminalibus. Quia appellatio nihil aliud est quam defensio sui juris; hæc autem nemini in civilibus deneganda, multo minus ex humanitatis ratione in criminalibus *l. 6. ff. de appellat.* præmissis cum in his majus versetur periculum. *Berlich. P. 3. decis. 231.* Admittenda igitur appellatio non solum ipsius damnati, sed etiam alius cujuscunque pro eo, qui perire festinat *d. l. 6.* Quando factum dubium est aut sententia contra non citatum nec auditum lata, vel alia nullitas commissâ *Mev. P. 2. dec. 272. n. 9.* vid. *Brunnem. Process. Inquisit. cap. ult. n. pen.*

II.

Quoties non admitti dicitur appellatio ob id, quod causa moram non ferat, toties hoc tantum intelligendum de effectu suspensivo. Quia quoad effectum devolutivum cessat ratio, quæ est ex periculo moræ, cessabit ergo quoque in illa solum fundata appellationis exclusio. arg. *l. adigere. 6. §. 2. ff. de Jure Patron. E. g.* quando appellare non licet in causis alimentorum, refectiois adificiorum, in executione, in sententia à possessore summariissimo. Item in causa reparationis aggerum in *Reichsachen. Mev. P. 3. decis. 163.* & collectarum. *Mev. P. 4. dec. 35. n. 6.*

III.

Quodcunque permillum est partibus in prima instantia post litem contestatam, id illis quoque permillum est in instantia appellationis. Quia appellatio reducit causam ad tempus litis contestatæ, nec judex de alio cognoscere potest, quam quod per appellationem ad eum fuit devolutum. Exceptiones igitur dilatorie in instantia appellationis opponi nequeunt *l. 13. c. de Procur. nisi de novo emergant, vel in notitiam demum veniant,*

aut totum processum reddant nullum. *l. licet. 24. C. eod.* tunc enim post litem contestatam etiam opponi possunt, modò quis juraverit, eas nunc demùm in notitiam pervenisse. *c. pastoralis 4. X. de except.* Exceptiones verò peremptoriae in prima instantia omisae in secunda opponi possunt. *l. per hanc. 4. C. de temp. appellat. Mev. P. 3. dec. 416.*

Declara: modò id, quòd in instantia appellationis opponitur, fuerit connexum cum illis, quae in prima instantia opposita sunt *d. l. per hanc 4.* Qvalia connexa quae sint, explicat *Brunnem. in process. civil. cap. 28. num. 87.* Hinc libelli mutatio in secunda instantia non admittitur, nedum perversio controversiae status. *Mev. P. 5. decis. 69. num. 4. & 5.*

IV.

Qui non appellat, approbat sententiam *l. 4. C. de muner. patronon. ibique Brunnem. & hoc etiam, si immunitatem habens ad munera publica vocatur, nam si non appellat, acquiescere censetur. Brunnem. ad l. un. C. de vacat. publ. mun.*

V.

Si quis per decretum à majori parte curiae factum & à iudice executioni mandatum gravetur, poterit coram eodem iudice causa gravaminis ventilari in iudicio per modum appellationis vel aliter, & iudex hic decernit, quòd aequius & melius videbitur. Et hoc casu appellatio habet effectum devolutivum, non suspensivum, nec tam attenditur numerus majoris partis quàm sanioris ratio. *Perez. C. de decret. decur. num.*

VI.

Nemini incumbit necessitas appellandi, nisi in causa propria aut aliena cum interest *l. 2. C. de filiis. fam.* Hinc qui appellat nomine suo vel ratione sui interesse, causam deteriorem *Brunnem. ad l. 2. C. eod.* Tunc quoque appellatio causam deteriorem reddit, si nominatus ad munus publicum appellaverit & ante diem moriatur, nam hoc casu heredes ejus obligantur, quòd secus est si non appellasset. *Perez. C. si post creationem num. 1.*

CAP. XXXVI.

De Applicatione Juris.

Quoties ob circumstantiam qualitas actionis mutatur, toties mutanda est juris applicatio. Quia jus oritur ex facto, facta autem mutantur ex circumstantiis. Exemplum est in *l. bona fides 31. ff. de positi.*

Limita: ut procedat in circumstantiis gravibus, qualitatem actionis mutantibus, non in levibus.

CAP. XXXVII.

De Aqua, Flumine.

Axioma I.

Non licet sine concessione principis aquam publicam in suum fundum deducere, contra

faciens fundo privatam. *l. 2. 10. C. de aqua duct. & super aquaductione ex fundis principis vel publicis nulla praescriptio procedit l. 5. C. de fund. rei privat. cum immemorialis. Brunnem. C. eod.* Imò cum non licebat habere aquam privatam, nisi à censoribus venderetur. Nunc autem cuivis licet in privato flumine per proprium fundum decurrente molam extruere & ad ejus usum aquam deducere, etiam si ista aqua originem ex loco publico habeat: dominium enim aquae sequitur dominium fundi. Imò & ex flumine publico non navigabili aquam ducere licet *l. 2. de flumin. Brunnem. ad l. 2. C. eod.*

II.

In flumina praesertim castris vicina nil sordidi projiciendum & in iis nemo nudus in conspectu hominum natum debet. *l. 12. C. de re milit. Flumen enim commune militum est poculum. Brunnem. C. eod. col. 2.*

CAP. XXXVIII.

De Arboribus.

Axioma I.

Arbores grandes & frugiferas vasallus, vel usufructuarius non potest incidere ut eos vendat, bene tamen ad usum lignandi & aedificandi. vid. *Schifordegher. lib. 3. tract. 29. g. 6. p. 439.*

II.

Non licet arbores, quae ex vicini fundo radices porrexerunt, recidere. *l. 6. §. 2. arbor. furtim cas.*

Limita: nisi radices arboris fundamento domus perniciose sint, vel cultura fundi & perceptio fructuum inde minuatur. *l. 1. §. 8. de arbor. cadend.* Usus quoque hodiernus permittit ramos supra domum fundumque vicini pendentes, *Überhang der Aeste* propria auctoritate incidere. *Capoll. de servit. praed. urban. cap. 81.*

III.

Arborum appellatione vites ac alia veniunt. *Berl. P. 5. concl. 52. num. 22.*

IV.

Excisio arborum regulariter est culpa speciei & punitur, *l. 25. §. 3. locat.* interdum tamen est boni patrisfamilias *Brunnem. ad l. 2. C. de cens. num. 3.* Neque ille tantum punitur qui arbores arbores subsecuit vel excidit, sed & qui cinxit aut deglabravit. *l. 5. ff. arb. furt. cas.*

CAP. XXXIX.

De Armis.

Axioma I.

Arma perdere vel alienare grave delictum est, itaque hi non gaudent jure postliminii *l. 2. 3. de captiv. & postlimin. l. 17. ibid.* & pro infamibus habentur. *Perez. C. de tyron. n. 8. g.*

II.

Armorum confectio peritissimis artificibus committenda, hinc non nisi praevis indagatione

tione quis in collegium Fabricensium recipiebatur l. 4. C. de Fabricens. iisque dignoscendis stigmata brachiis inurebantur l. 3. C. eod. Erant & fabricæ protectores, qui peritus artifices ab imperitis discernebant, arma proba reiectis inutilibus eligebant & in armamentarium reponebant. Perez. C. de Fabricens. num. 6. seqq.

III.

Armorum appellatione veniunt non solum gladii, hastæ, scuta, sed & fustes, lapides, omneque id quod nocere potest l. 41. ff. de V. S. §. 5. Inst. de publ. judic. etiam culter. Alciat. in de l. 41. Webn. in observ. pract. verb. Messer.

CAP. XL.

De Articulis.

Axioma I.

Quoties quis probare intendit per testes, totiet opus habet articulis. Quia articuli ut plurimum formantur ad testes interrogandos de iis, quæ adversarius negavit.

II.

Articuli debent esse pertinentes seu ex verborum libelli deprompti, certi, non contrarii, affirmativi. Fihig. process. jur. part. special. cap. 2. §. 6.

CAP. XLI.

De Artificibus. Arte.

Axioma I.

Tales artes in Republ. potissimum fovendæ sunt, quæ ad incrementum Reipubl. serviunt, non quæ ad luxum aut lasciviam. Perez. C. de excusat. artific. num. 11.

II.

Artifices, qui ex statuto loci opificia in publicis officinis exercere debent, non debent occultè & in privatis domibus operari, multo minus illi, qui nondum in numerum sunt recepti, clandestinè artem exercere. Perez. C. nulli licere in fran. num. 7.

III.

Ob artificium insigne poena interdum mitigatur. l. ad bestias 31. ff. de pen. Tiraq. Tr. de pen. temper. can. 50. Clar. lib. 5. sentent. §. fin. q. 60.

IV.

Artifices qui artem suas lucris causâ falsant, ut sunt textores, qui pannos debiles faciunt, pictores aliique, puniri debent. Jo. de Platea in l. baptii. C. de murileg. lib. 12.

V.

Liberi compelli possunt ad amplectendum artificium paternum, quod apud Sinenses practicitur, referente Brunnem. C. de fil. official. col. 1. imò potest aliquis certo casu in penam addici certo artificio, e. g. apparitores pictorem concutientes panificio l. 2. C. de apparit. pref. urb. licet hoc generaliter non procedat l. 19. C. de pan.

VI.

Artifices ingeniosi etiam si liberalem artem

exerceant, à muneribus publicis non sunt immunes. Perez. de excus. mun. n. 2. nisi sint ex receptis collegiis, qui necessariam operam publicis utilitatibus adhibent l. 5. §. 12. ff. de jur. immun. Ratio immunitatis est, quòd discendis & exercendis artibus otium sit accommodandum. Hinc & discipuli & tyrones eadem immunitate gaudent, Perez. C. de excusat. artific. n. 6. quod ultimum tamen limita, (1.) modò discipuli de suo ingenio & doctrina spem Reipubl. præbeant probabilem, (2.) ut discipulis non competet immunitas, quæ Doctoribus concessa est à muneribus realibus; nam personalia duntaxat magistrorum suorum iis attribuantur. Brunnem. C. eod.

De ascendendum successione vid. successio.

CAP. XLII.

De Assessores.

Axioma I.

Assessores debent iudici suo resistere si videant ipsum contra jus agere, aliàs ipsi puniendi sunt. l. 33. C. de decur. Brunnem. C. eod. col. 11. in fin. hinc etiam iudicibus locorum invititis tales assessores dandi sunt, quos ipsi reverentur: nam malus prælatus timet subditum bonum. Brunnem. C. de palatim. sacrar. largit. col. 1. in fin.

CAP. XLIII.

De Asylo.

Axioma I.

Ad opera suæ patriæ sublevanda potest quis ex domo privilegiata extrahi l. 39. C. de decur. Vassallus & rusticus alienus etiam ex domo Principis ad pristinam conditionem revocari potest, auctoritate tamen judiciali. Brunnem. ad l. fin. C. de metallar.

II.

Palatia & statuae principum asylorum jure gaudent, ut & Cardinalium & Episcoporum in terris Ecclesiæ. Hinc nemo ibi violari, extrahi, vel gladius evaginari potest. Perez. C. de palat. & dom. num. 3.

III.

Asyla facinorosis non præstant impunitatem sed innocentibus securitatem, Numeror. 35. vers. 11. & 12. item vers. 32. Rhet. in Instit. jur. publ. lib. 2. tit. 8. 1. 2. apud Pontificios verò asyla sunt præsidium omnium maleficorum. Rhet. d. l. §. 4.

CAP. XLIV.

De Aucupio.

Quicumque non habet jus venandi, ille nec habet jus aucupandi, quia sub illo hoc continetur. Ergo qui non habet jurisdictionem circumsepandi, die Zaungerichte, ille non habet jus venandi, & consequenter nec jus aucupandi.

Limita: ut tamen in genere liceat cuivis capere aves minores. Conf. Wehner. obs. pract. sub voce Vogelweile.

CAP.

CAP. XLV.

De Augmento.

Axioma I.

Propter augmentum meliorationis non augenda sunt onera rei. Ita domus quæ fisco certam pensionem annuam præstat, licet augeatur melioramentis, onus tamen non augeatur, sed antiquum tributum præstat. Ratio est ornatus urbium insignibus ædificiis. *Perez. C. de præd. & omnib. reb. navicul. n. 3. seqq.* Ita meliorator hypothecariâ conventus potest æstimationem rei, quæ fuit tempore oppignoracionis, creditori offerre, creditor autem melioramenta persequi non potest. *Brunnem. ad l. 2. C. eod. num. 8.* Ita si vis fundum hereditariâ principis accepit ipsumque melioravit, canon. Principi promissus minime augetur, sed hoc procedit in augmento diligentia, non casuali, e.g. Alluvionis l. 6. C. de alluvion. *Brunnem. ad l. 16. C. de omni agro deserto.*

II.

Augmenta contra veterem consuetudinem sunt prohibita. Hinc conductores pascuorum principis vel publicorum sub prætextu gravioris pensionis majorem pensionem ab animalibus pascendis exigere & licitationem instituere prohibentur, imò nec pascua carius locari possunt. *l. 1. C. de pasc. publ.* Hinc is, cui à Principe fundus patrimonialis in emphyteusim datus est, eò privari nequit, quamvis alius augmentum offerat. *l. 3. C. de fund. patrimon. l. 2. C. de locat. prædior. civil.* quæ docet, quòd idem etiam in locatione procedat, quod in venditione. *Perez. C. eod. num. 5.* si scilicet locatio sit perpetua, non temporalis, in hac enim licitatio locum habet. *l. fin. §. fin. C. eod.*

CAP. XLVI.

De Autoritate. Autoritate privata.

Axioma I.

Quoties facultas propria auctoritate aliquid faciendi alicui conceditur, toties valet, nisi resistat alter, quia contra resistantem opus est iudicio. Ita si testato legatario permiserit propria auctoritate legatum occupare, non tamen aliter hoc licebit quàm si heres consentiat. Alioquin verò interdictum quod legatorum locum habet. *Struy. de vindict. privat. cap. 15. §. 2. numer. 2.* Idem est si alicui concedatur potestas propria auctoritate occupandi rem venditam si emptor statuto tempore pretium non solverit.

II.

Autoritas superioris, consensus inferioris est. *Simoncell. de decret. in 2. esset. num. 54.*

III.

Autoritate privata nemo impunè possessionem alienam arripere potest. *l. fin. C. unde vi.*

Limita: Favore agriculturæ & tributorum fisco solvendorum quilibet desertos fundos propria auctoritate arripere & colere potest: qui, si dominus intra biennium non redeat & meliorationes restituat, ipsi appropriantur. Si autem quis auctoritate Magistratus eos arripuerit, domino non nisi sex menses dantur. *l. 8. n. C. de omni agro deserto.*

IV.

Ubi quæque periculum est in mora & iudicis copia non statim datur, ibi propria auctoritate fugitivus capi potest, e.g. decurio à duumviris. *l. 54. C. de decur.* religiosus à superiore, uxori à marito, subditus à domino, debitor à creditoribus, si cum re debita aufugiat. *Perez. C. eod. num. 48. Brunnem. C. eod. col. 7.* ita quilibet milites desertores potest opprimere. *l. fin. C. quando lic. cuique sine iudice.*

CAP. XLVII.

De Autoritate Tutoris.

Axioma I.

Quoties agitur de negotio infantis, toties non intervenit auctoritas tutoris, sed solus tutor illud gerit nomine infantis. Quia in infante nihil est, cui auctoritas tutoris accedere debeat. *l. 18. §. 2. C. de iure deliberandi.* Exemplum est in aditione hereditatis nomine infantis facta.

II.

Quoties agitur de negotio pupilli infantia majoris, toties illud genere potest pupillus auctoritate tutoris, quia talis pupillus potest consentire. Huic igitur consensui minus perfecto accedere debet auctoritas, & tali casu citari solet pupillus cum tutore; quamvis hodie indistinctè citentur tutores. *Brunnem. ad l. 1. ff. de admin. tut. in fin.*

III.

Quoties pupillus vel minor est obligandus aut ex actu aliquo lædi potest, toties auctoritas tutoris vel consensus curatoris requiritur, & contra quoties pupillus non læditur sed meliorem reddit conditionem suam, toties auctoritate tutoris opus non est: si enim ea & hic necessaria esset, damno foret pupillo, quod in favorem ejus est introductum, contra *l. quod favore 6. C. de LL.* Exempla sunt in *pr. Inst. de aut. tut.*

Declara: ut hereditas extranei pupillo delata adiri sine tutoris auctoritate non possit, utut revera sit lucrosa, quia pupillus obligatur legatariis & creditoribus defuncti. *§. 1. Inst. eod.*

CAP.

CAP. XLVIII.
De Auxilio.

Axioma I.

Natura vinculum homines ad mutuam defensionem & auxilium copulavit l. 3. de j. & j. hinc qui injuriam à socio vicino non depellit, tam est in vitio, quàm si parentes aut patriam deserat *can. non in. 23. q. 3.*

Limita: nisi quis suo auxilio seipsum in majus periculum immergat. Ita si mandato judicis capiendus resistat, praesentes satellitibus

assistere debent, sine proprio tamen periculo. Servi autem etiam cum proprio vitae periculo dominum defendere tenebantur. *Perez. C. de cohortal. & princip. num. ii.*

II.

Antequam in auxiliores instituantur inquisitio, oportet constare de ipso principali delicto. *Hippol. de Marsil. in pract. crim. §. constante. d. num. 40. usque 77.*

III.

Auxilium praestare dicitur qui pecuniam mutuat. *Bart. in l. 4. ff. ad L. Jul. Majest.*

F I N I S.

Collegii Societatis Jesu Paderborna
22 Martii 1698

